



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. De alio Propheta ipsius successore: & de Anabaptistarum simplicitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

acerbe scripsit. Edidit etiam Commentarios in Apocalypsin, quibus multa mirabilia atque ab omni ratione aliena continentur; nec non figuras Moysi Tabernaculi, & Mysteria Incarnationis. Idem Ubbo Deum testatur, quamvis Lutherus vehementer & tumultuosus fuerit, Hofmannum tamen hac in re longe illo superiorem fuisse; eisque exemplum se aliosque collegas sequutos, contra Lutheranos, Zuinglianos & Papistas, non minus quam contra omnes diabolos, detonare ac fulminare solitos. Eidem Hofmanno in Frisia Orientali doctrinam suam spargenti, senex quidam apparuisse dicitur, Helix Prophetae specie, ut discipuli ejus narrant, (a) eumque ita esse alloquutus: *Melchior, ab eo qui creavit coelum ac terram, ad te missus, tibi mandare iussus sum, ut Argentoratum, quae nova est instar Hierosolyma, proficiscaris, ibique Verbum Dei annuncies, & populum rebaptizes. In vincula quidem tibi conicietis, verum sexto post mense cum triumpho inde liberatus discedes, centum & quadraginta quatuor discipulorum millibus comitatus.* Melchior vaticinio huic ceu oraculo fidens, itineri se dat, & Anno M D XXXII. Argentoratum profectus, contra Lutheranos Praedicantes publicam disputationem suscipit, in primis de Pædopapismo, quem Sarhanæ inventum appellabat. (b) Quum non multo post magistratus jussu custodia daretur, nihil teritus, sed lætus potius: *Hic, inquit, dies ad triumphum mihi à Deo promissum, viam mihi sternet.* Ex carcere discipulos quos in Frisia habebat, frequenter est consolatus, (c) & per litteras in suum locum substituit quendam Joannem Tripenmacher nomine, qui Amsterodami sectam suam valde amplificavit (ubi etiamnum illa maxime viget) ac tandem Hagam Comitibus abductus, sanguine eandem obsignavit, igni exustus. Melchior vero frustra expectata Helix ope, in carceris squallore obiit.

III. Dum in carcere attinetur Hofmannus, in eadem urbe novus quidam propheta exstitit, Leonardus nomine, qui suas visiones editis libris publicavit. Usus hic fuit ope de arum sagarum seu divinatricum, quarum una Ursula dicta, uxor erat ejusdem Leonardi prophetastris; (d) altera Barbara nominabatur. Hæ sæpenumero mirabiles prophetias visionesque socijs detegebant, eoque humanas mentes vanis futurarum rerum præ sagijs rapiabant, ut ipsum Melchiorem sumpta à cygno parabola, Verum Eliam; alium utpote Cornelium Holtermannum Enochum esse miro quodam astu

permultis à Dæmone seductæ persuaserint. Quos demum ceu luminaria duo magna post medium annum Argentorato cum centum & quadraginta quatuor millibus Praedicatorum, Apostolorum & nunciorum Dei in signis virtutibus ac miraculis multis prodituros prædicabant. (e) Deplorat hoc loco supraddictus Ubbo simplicitatem ac cæcitate nostram, qui eiusmodi artibus circumveniri nos patiamur: atque se quosdam ex hypocritis illis, Hofmanni discipulis diu apud se habuisse, qui doctrinam illius, scientiam & pietatem ad cælum usque laudibus extulerint, atque Anabaptistarum religionem, ob summam quæ ibi ferveat, Charitatem summopere commendatint. *Docent enim, omnes iniurias sine murmure perferendas, nec defensionem licitam esse, sed secundum Evangelium omnia propter Dei honorem sustinenda, bonum pro malo reddendum, inimicis beneficiendum, ei qui nos in dexteram maxillam percussit, præbendam & alteram, &c.* (f) At non animadvertunt, Salvatore duplicem protulisse doctrinam, unam præcipientem alteram consulentem solum, & locis in Matthæi 5. 6. ac 7. capite allegatis, utramque misceri, iudicio Ecclesiæ discernendam, si quidem ea omnia ibi ad Apostolos loquitur & alios, qui Christianam perfectionem ut illi amplecturi erant, & quorum arma, verba, & præsidium humilitas futura erant. Quæ si ego aliquando ex horum aliquo, An injuria affecti, nullam plane animi sentirent perturbationem? Tum ille, *Immo, inquit (nam & nos caro & ossa sumus sicut vos) sed Spiritus Dei statim adest, ac patientiam animis nostris inspirat.* Nec dici potest, post motum illum Monasteriensem, quo tempore illi in nostra religione nondum perfecte erant instructi, quemquam fratrem Christianum ab ullo nostrum percussum, laesum aut occisum esse. Et hinc docent illi, non licere Christianis uti gladio, Christus, inquit, S. Petrum propterea reprehendit, ac divinam hanc sententiam pronuntiavit: *Qui acceperit gladium, gladio peribit.* Et hæc quidem etiam una fuit ex Lutheri propositionibus et si is more & privilegio suo usus eam sæpe mutavit, verbo, calidum frigidumque pro tempore spirans. Facit huc sequens historiola. Quum anno M D XLIII Anabaptista quidam in iudicio accusaretur, qui inter alia illicitum esse armorum usum, nec

a Bleesdick de secta David Georg. in princ. b Bulling. lib. 2. cap. 13. fol. 57. c Vbbo lib. Recog. fol. 4. d Vbbo ibid. fol. 7 & 8. e Modest. fol. 79. fol. 11. Bleesdick ibid. in principio. f Matthæi 5. & 6.

nec gladio percipiendum aiebat, roganti Iudici, si nocturnus fur fores ipsi effregerit, aut latro in sylua ipsum inuaserit, an illi argentum, huic iugulum quasi ultro esset præbiturus, ac non potius pro utroque quantum possit pugnaturus? respondit ille: *ad sui defensionem vix ac ne vix quidem arma accepturum, ut qui scires in Dei se suaque omnia tutela esse, qui omnes capitis sui capillos numeratos habeat, & cuius Voluntatem fieri assiduo precetur.* In Colloquio Lauffensi Anabaptista à Catholico rogatus, *An non cum alijs Christianis ad patria defensionem contra Turcas arma sumere velis,* idem quod Lutherus initio sui Euangelij, ut postea dicam, respondit: *Turcam precibus & oratione, non armis profugandum esse. Hunc enim esse Dei flagellum, quo Papistas & novos Euangelicos castiget.*

III. Flissingæ, & in alijs Hollandiæ & Selandiæ ciuitatibus, Anabaptistæ ad vigilias vocati, compareat quidem, sed sine armis: iidemque in excubitorum stationibus tantum locantur, ut scilicet animaduerso hoste clamore eum prodant. Id enim ex religionis suæ decretis facere ipsis licet, at manum armis admouere, ac hostem depellere non licet. Nonnulli quidem arma portant, puluerem, fomitem, alia tormenta etiam instruunt & onerant; at ignem subijcere, aut gladium educere, religioni habent. Naues eorum (multi enim rei nauticæ, ac præsertim in Belgio, student) facile dignoscuntur; utpote nullis tormentis aut alio quocumque armorum genere instructæ. Si in piratas inciderint, velis remisque effugere laborant. Si effugere non possunt, complicatis manibus sese dedunt, ac Deum tum quoque laudant, dicentes: *Benedictus sit Iesus Christus.* Hoc illi nomen frequenter in ore habent, tam certi salutis suæ, ut damnati se non posse, dicant. Nec vero tantum ab omni vi & iniuriæ repulsa abstinere, sed malefactori quoque manus iniicere nefas ducunt. Anabaptista quidam quæ huius opinionis argumenta haberet rogatus, *Quem, inquit, furem aut latronem Christus D. N. & Apostoli ceperunt? cui malefico manus iniecerunt? Atqui eorum vitam & facta nos pro virili imitari decet.* In iudicio quoque contendere, aut magistratum gerere Christianis prohibitum esse aiunt (a). Ex ipsorum enim sententia non opus est ullo alio magistratu quam Pastore ac ceteris Parastatis; nec alia sententia quam quæ ab vniuerso cœtu seu ecclesia fertur. *Quid, opus habemus, inquit, magistratu si Christiani sumus?*

Rogati à me, si cui ipsorum facta esset iniuria, quam eius vindicandæ rationem esset ingressurus? *Si aiebant, is nostra religionis non sit, coram ipsius iudice conueniendus; sine eorundem sacrorum sit socius, monendus erit, ut iniuriam agnoscat, ac pro ea satisfactorum se promittat. Quod si promissis non steterit, indicandus est Ecclesiæ, quæ utroque audito sententiam ferre consuevit.* Ex quibus omnibus manifestum est quam mordicus imperitâ pietate uti demerati hi homines; litteræ S. scripturæ & non spiritui inhæreant; quamque parum ad eiusdem intelligentiam penetrare queant, quæ non è priuatorum hominum sensibus; sed communi Ecclesiæ, tamquam veritatis magistra & directricis, consensu verissime est haurienda.

IV. Ante omnia iusurandum omne, etiam quamcumque ob causam, illicitum esse contendunt, vti ad hoc S. scripturæ testimonio, vbi dicitur, *Sit sermo vester, Est, est, Non, non;* adeo vt multi acerbissima potius tormenta sustinere, quam iusurandum, etiam coram Iudice, præstare maluerint (b). Apud Gastium Anabaptista quidam sic inquit: *Iusurandum nullum facimus, quia Deus id in suo Euangelio prohibuit.* Etiam hodie vbi illi sunt, in iudicio nullum ab eis iuramentum aut manus eleuatio exigitur, sed simpliciter verum dicere iubentur.

Omnes ab imaginibus abhorrent, nec solum in templis; sed domi etiam: quinetiam eandem ex Biblijs ac libris suis excindunt aut eradunt. Testatur idem Gastius, vidisse se faminam Anabaptistica m. è domo emigrare, quod S. Virginis imago in vitro ibi depictam conspexisset. *Et ego, inquit, si quando ad me venissent, rogabam eos an tabulis quæ frequentes in cenaculo suo pendebant, offenderentur. Tum illi, Tibi, inquit, tamquam patrifamilias domi tuæ suo more viuere licet, sicut etiam nos arbitrati nostro domi nostra viuimus. Veruntamen nostri, credimus, à Deo picturas &c. interdittas: statimque illud, Non facias tibi sculpsile, decantabant. Quod ad sepulturam, sine vlla pompa aut caremonijs efferuntur, & communi cum reliquis secularijs loco sepeliuntur, qui hanc eis societatem post mortem non negant, ut faciunt Catholici. Vult enim nostra religio, ut quos viuos error à nostra separauit Ecclesia, iidem mortui à membris eius sint separati.*

O 3

D E

a. Vide Bulling. lib. I. cap. 8. & lib. 5. cap. 9. & 10. &c.
b Bulling. ibid. cap. 11.